



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tertia Seraphica Vinea, Sive Tertius Ordo De Poenitentia
à S.P.N. Francisco institutus**

Pauck, Engelbert

Coloniae, 1720

Num. 41. Regula tertii Ordinis B. Francisci de Pœnitentia, à Summo
Pontifice Nicolao IV. approbata, & confirmata, cum Statutis
Congregationum generalium Ordinis FF. Minorum de Observantia specificè

...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64103)

REGULA TERTII ORDINIS
de Pœnitentia

cum Statutis approbatis
ab INNOCENTIO XI.

NICOLAUS Episcopus. Servus
Servorum Dei.

Dilectis Filiis, Fratribus: & dilectis in Christo Filiabus, Sororibus, Ordinis Fratrum Minorum de Pœnitentia: tam præsentibus, quàm futuris, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

LXI. **S**upra montem Catholicæ fidei, quam populos gentium (qui ambulant in tenebris) Discipulorum Christi sincera devotio, igne charitatis exæstuans, verbo sollicitæ prædicationis edo uit, quàmque Romana tenet, ac servat Ecclesia; solidum Christianæ Religionis noscitur positum fundamentum, nullis unquam concutiendum turbibus, nullis quasandum fluctibus tempestatum. Hæc etenim est recta, veraque Fides; absque cuius consortio nemo in conspectu Altissimi acceptus redditur, nemo gratosus occurrit. Hæc est, quæ salutis semitam præparat, & felicitatis æternæ præmia, gaudiâque pollicetur, adeoque gloriosus Christi Confessor B. FRANCISCUS hujus Ordinis Institutor, viam ascendendi ad Dominum, verbo pariter, & exemplo demonstrans, ipsius sinceritate Fidei suos filios erudit, eosque illam profiteri, constanter tenere, verbo simul ac opere voluit adimplere, ut per ejus semitam salubriter incedentes mererentur post vitæ præsentis ergastulum, æternæ Beatitudinis effici possessores.

De Modo examinandi Volentes ingredi Tertium Ordinem.

CAPITULUM I.

XLII. **N**os igitur Ordinem ipsum opportunis favoribus prosequentes, & ad ejus augmentum benignius intendentes, statuimus, ut omnes, quos ad servandum hujusmodi vitæ formam assumi contigerit; ante receptionem ipsorum, de Fide Catholica, & obedientiâ erga præfatam Ecclesiam diligenti examini subdantur. Si que eam professi firmiter fuerint, veramque crediderint, ad eundem admitti, seu recipi tuto poterunt. Cavendum tamen est; ne quis Hæreticus, vel suspectus de Hæresi, aut etiam infamatus, ad vitæ ipsius observantiam quomodolibet admittatur. Et si talem inveniiri contigerit, fuisse receptum, assignetur quanto citius Inquisitoribus hæreticæ pravitatis puniendus.

STATUTA CAPITULI I.

SI Volens ingredi Ordinem fuerit Dominus, vel Domina alicujus tituli, Eques alicujus Ordinis Militaris, Sacerdos, notoriæ Nobilitatis, familiaris S. Officii, vel notæ qualitatis homo: ratione Statûs, aut Personæ non est de ejus genere inquirendum. Sicut neque, si fuerit frater, aut filius prædictarum Personarum, vel Fratris alterius ex hoc Tertio Ordine. Non est etiam facienda inquisitio de illorum genere, qui Fratrem habent in aliqua Religione ab Ecclesia Dei approbata. Quando etiam Prælati superiores, vel is, qui Habitum concedit, novit ejusmodi Personas esse virtuosas, ac devotas, non autem dissolutas, aut scandalosas; poterit eosmittere ad Ordinem, absque prævia inquisitione de
vita